

tatem gradualem, & essentialem seu causalem. Illam nos non negamus, sed essentialem concedere non possumus, i. e. differt fides illorum ab horum fide ætate temporum & duratione, non autem ex parte causæ efficientis formalis & finalis.

VI. Sine discrimine.

1. Ut indicetur, quod fides eadem sit utriusque testamenti. Fides non est *temporum*, sed *Evangeliorum*, inquit Augustinus. Una eademque fides est, uti est unum idemque Evangelium. Non est discrimen fingendum inter fidem V. & N. T. hominum, sed respondetur ex Actor. XV, II.
2. Distinguendum inter ipsam *substantiam* credentorum, & *circumstantias*. Illa mansit perpetuò eadem. Obtineat hic illud, Ebr. XIII, 8. Si has consideres, est maximum discrimen. Illi homines in V. T. credentes in *ἐρχόμενον* sunt salvati; nos in N. T. in incarnatum credentes salvamur.
3. Distinguendum inter *objectum justificationis fidei*, & *media gratiam justificationis offerentia*. Illud unum identique mansit in V. & N. T. Hæc sunt diversa. Olim habebant tantum umbram, nos habemus *ἀλήθειαν*. In V. T. fuit tantum *ὑπόδειγμα*, in N. T. est *σωμα*. In V. T. fuerunt media præfigurantia, hîc actu ipsò exhibentia.

VII. Sine discrimine ætatis.

1. Ut indicetur, quod fides adultorum & infantium hætenus una eademque sit.
2. Distinguendum inter fidem, quatenus absolvitur *confessione internâ cordis* coram DEO, & quatenus includit *confessionem externam oris* coram hominibus; Illa sine discrimine ætatis semper mansit eadem, sed posterior non potest in infantes cadere.
3. Distinguendum inter *modum quo credunt* infantes, & *actum ipsum fidei* eorundem. Illum ignoramus, attamen hic propterea non est negandus. Nisi enim actus fidei essent capaces, non possent salvari.
4. Distinguendum inter *actum fidei simplicem ac directum*, & inter *actum fidei reflexum*. Hujus non sunt capaces infantes, attamen illius, i. e. fertur parvulorum fides in Christum ejusdemque meritum, ut per salutarem applicationem salventur, at non sciunt, nec cogitant, se credere.

5. In-